

Appendix. — Europa Nro. 84.

Regnum Mortuorum.

Litterae Familiares inter Vivos et Mortuos.

Puella quaedam Germana bene educata, Matri suae in Elysio, salutem!

Ex mundo die 7. Octobris 1808.

Patere Mater charissima, ut tibi de sorte mea conquerar! En sedeo coram effigie tua, quam ad lectum meum collocavi, et suspiro ad te, quam die 18. Julii infelix amisi. Orbata sum nunc quidem utroque parente, at complector vos nihilominus quovis momento mente, et corde.

Gratias tibi ago Mater dulcissima! non pro bonis fortunae, quae mihi reliquisti, sed pro sana doctrina, pro educatione recta, et pro eo, quod me semitam virtutis ad novissimam usque vitae horam docueris. Nunquam obliviscar novissimorum verborum tuorum, quibus me adfata es in agone dicens: Amalia! alter est hodie mundus, ac olim fuerit; noli deserere virtutem; neque te splendor Baronis F. seducat; pertenta virum, qui tibi matrimonium offert, rigido eum subjice examini, et secundum valorem ejus internum judica. Possides tantum, ut honestam possis vitam ducere, cura igitur, ne decipiaris. Vilhelmus, in quem tuus tantopere inclinatur animus, vix is est, qui te felicem reddere possit; en morior! cape usum hujus doctrinae, et vale."

Haec erant novissima verba tua, o Mater, doctrinaque salutaris, cujus condignum feci usum. — Nullus Vilhelmo obsequiosior erat, is quippe negotiorum meorum solertissimam gessit curam, omniaque, quae ad haereditatem meam pertinebant, ad effectum perduxit, ut adeo tota civitas eum mihi pro marito adjudicaverit. Quidquid dicatur (asseverabat pars hominum elegantior) boni denique cordis est Vilhelmus hic, qui ob mores suos exultos, characteremque, ubique acceptus est, periculosus est innocentiae hostis, datam tamen fidem nunquam violat: promittit, se intercessione sua prodesse velle, statque promissis libenter, quin praestolaretur, ut ei pro hoc gratiae referrentur: posset ab una amitarum suarum magnam obtinere haereditatem, si adulari vellet, sed conscientiae sibi ducit, propinquioribus amicis haereditatem hanc praeripere, seque ditando

alios inopes reddere: facilis est cum sibi subordinatis, benignus cum servis: in societate comis est, alium offendere nefas putat: odit lusus, potum, et prodigalitem. Quid igitur de Vilhelmo sentiendum? — Ex sententia orbis elegantis unico laborat naevo, multas autem possidet virtutes; ex sententia autem veri, nullam proprie loquendo possidet virtutem.

Perspiciit quidem culto suo intellectu, vitia omnia probari non posse, sed non assequitur, quod unicum, cui voluntarie dediti sumus, vitium, totum cor pervertat, animumque depravet. Conscientia, qua ducitur, non sinit eum tranquillo peccare animo, hinc conciliare studet bonum cum malo, conaturque per externa officia socialia, molitiam, commodi proprii studium, et egoismum tegere. Eas praecligit virtutes, quae molli animo ejus analogae sunt, puta: Bonitatem, Aequitatem, Lenitatem, et Obsequiositatem, quaeve in societate gratae sunt, atque se ipsas reciprocitate, adsensuque remunerantur. Virtutes ergo illius non aliud sunt, quam mos excultus, et decentia, abominatio autem, quam a quibusdam vitiis habere videtur, ab exemplis aliorum duntaxat, et educatione venit, quae ei etiam invito adhaeret.

Hunc ego virum probavi. Elisabetha, levis, ut nosti, animi puella, quae magnas divitias ab Avunculo suo sperandas habet, saepe ad me invisibat, eamque semper Vilhelmus domum comitabatur. Die quadam cachinando ad me veniens illa, exclamavit: „vicinus, mea Amalia, vicinus! en literas a Vilhelmo, quibus me unice perpetuo amare velle declarat; oportet elegantem herulum hunc tantisper vexare.”

In literis hisce summo se amore in Elisabetham ferri professus est Vilhelmus, me autem rigidam puellam, et frigidam Virtutem nominavit, quae marito amaram redderet vitam. Subrisi ad haec, acceptamque epistolam per ancillam ad Vilhelmum misi. Illico is adcurrit, seque desperationi proximum esse fingebat, literas praeterea repetitis vicibus ad me miserat. Sed ego chara Mater! dissipata priori caligine longe alia evasi, firmiterque proposui, eum nunquam amplius videre velle.

Tales sunt hodie viri, exempla quae haec prava bonis moribus nimium quantum sunt perniciose. Ji duntaxat aestimantur Juvenes, qui externis splendent actionibus, et cum applausu aevi morem novissimum sequi sciunt, valorem internum, qui realem constituit felicitatem, nemo expendit. Placet scelus, virtutis specie fucatum, seducitque puellas bene moratas. Id praeterea pessimam in partem vergit, quod larvatus hic agendi modus omnem obtineat

apud
que i
genio
secler
culpe
venib
duxit
jam,
tem
ralita
horre
verba
vixer

ster
nunc
temp
remu
multa
tame
duct

ralis
gatu
habu
diam
Dux
beth
val
Gen
licus
Nar
Herb
Erfo
nani
a B
deg
Con
deni
bris
pha

perv
e pa
Min
visi
hae

apud hodiernum mandum elegantem venerationem, quodque in societatibus mala inde promanantia consecraria, ingenioso duntaxat acumine per modum joci perstringantur, scelera autem non nisi in quantum ridicula proponi possunt, culpentur, ubi tamen effroenis haec licentia, quae tot Juvenibus praematuram acceleravit mortem, immaniaque adduxit scelera, nunquam ludibrio habenda esset. Eo ipso jam, quod Vilhelmus sexui nostro innocentiam, et virtutem rapere non vereatur, nullam me iudice possidet moralitatem. Firma ergo in proposito persisto. Heu! quam in horrendam abyssum me praecipitem egissem! Novissima verba tua, o Mater! me salvarunt, nunquam eorum, quoad vixero, obliviscar.

Caeterum nunc optimam vivimus spem, statusque noster indubie meliorabitur. Duo enim Imperatores illi, qui nunc Erfordiae existunt, pacem nobis daturi sunt. — Quodsi temporum angustiis non adeo premeremur, si vitam viveremus leniorem, si a partium studio alieni esse possemus, multa de statu nostro praesenti scribere valerem. Interim tamen nova quaequam ex publicis ephemeridibus sum adductura.

Erfordia die 4. Octobris. — Die 29. Septembris Generalis Rei Tormentariae Praefectus Comes *Vincent*, Legatus Austriacus, longam apud Imperatorem Napoleonem habuit audientiam. — Inter Magnates externos, qui Erfordiam porro advenerunt, numerantur: Princeps *Oldenburg*, Dux *Birkenfeld*, Principes *Galizin*, *Gagarin*, *Trubetkoi*, et *Volkonsky*; Comites *Aratschev*, *Schouvalov*, *Asarovsky*, *Spremsy*, *Ogerovsky*, *Rose*; Generales *Kitroff*, *Kornikoff*, *Villiov*; Minister Gallicus *Dresda Bourgoing*, et Dux de *Montragon*. — Narratur, quod praeter Principem Primatem, etiam M. Dux *Herbipolitanus*, Princeps praeterea *Badensis* cum consorte Erfordiam venturi sint. Imo omnes Principes Foederis *Rhenani* expectantur. — Praeterea nuper advenerunt: Comes a *Fürstenstein* Minister *Vestphalicus*, Comes *St. Aldegonde*, Supremus *Vigiliarum* Praefectus *Austriacus*, Consul *Russicus* *Francofurto* ad *Moenum*, *Bathmann* etc. denique *Rex Bavariae*, et *Rex Virttembergiae* die 4. Octobris comparuerunt, qua die etiam *Rex*, et *Regina Vestphaliae* expectabantur.

Neapoli die 21. Septembris. — Die 21. *Regina Romam* pervenit, die autem 23. *Neapoli* expectatur. *Rex* ipse raro e palatio exire, paucos ad se admittere, continuoque cum Ministris laborare solet, cum omnia Regni negotia ejus revisioni substerni debeant. Dispositiones Regis novissimae haec sunt: 1) Commissiones militares ad sopiendas facti-

ones institutae, sublatae habentur. 2) Omnibus desertoribus exercitus Neapolitani venia generalis est concessa. 3) Milites in itinere constituti, nulla amplius victualia in natura, praeter panem, obtenturi sunt, sed quotidie iisdem anticipative. 20 Centesimae exolvuntur. 4) denique, siquidem erogationis status publici Anno 1808 ultra 12,700,000 Ducatorum constituent, perceptiones autem, praesertim vectigales, magnam sint passurae diminutionem, census terragius dicti anni ad 7,000,000 Ducatorum elevatus est.

Parisiis die 2. Octobris. — Monitor refert, die hesternae transitus copiarum ad Hispaniam destinatarum, finitas haberi. Legionem 76. Agminis VI. finem imposuisse, eamque sicuti praecedentes convivio in horto *Tivoli* dicto exceptam fuisse. Finitis epulis, cum milites hac, atque illac commode per varias horti partes deambulant, repente tympano sinum bellicum datum est, ilticoque omnes ad arma convolarunt, neque poterant iis tam facile Officiales persuadere, quod hoc signo ad novum recreationis genus convocati haberentur. Convenerant quippe 100 musici, et 20 Tympanotrybae, qui svavissimam symphoniam „praelium ad Fridlandiam” appellatam, produxerunt, altera ex parte igne artificiali explosionem scloporum, et tormentorum boatum imitante. Quam vero insigniter ignis hic artificialis scenam bellicam imitatus fuerit, inde patet, quod initio symphoniae omnes milites svavitate ejus demulsi, adplausum dederint, sicut vero musica sonitu majore increescere coepit, tympanaque ritu illo resonassent, quo ad assultum faciendum excitare solent, velut electro omnes percussi, ad pugnam se consistere putantes, pedibus terram pulsabant, martialique clamore aëra complebant. Finaliter cum iis omnes spectatores, qui ultra 10,000 erant, intonarunt: *Vivai Imperator!*

Lapurdo sub 24. Septembris memoratur: quotidie copias, et Rem tormentariam hac transire, transitumque hunc toto adhuc mense Octobri duraturum. — Scribitur simul: Generalem Hispanorum *Block*, cum Divisione 8000 militum ex Asturia venientium, se ad *Bilboa* convertisse. Perhibentibus literis, Vittoria scriptis, dicitur Mareschallus *Bessieres*, qui quarterium generale ad *Burgos* collocavit, audito hoc Hispanorum motu, cum una Divisione processisse, ut Hispanis communicationem intercluderet, ferturque, eum jam in *Laredo* existere, quod si verum est, agmen Generalis *Block* admodum difficulter elabatur.

H
hil ne
provin
quiden
utquid

I
tas pr
modo

R
pergit
petere
defen
cet ca
hujus
„Ad

Viro
Perio
At a
Estor
Ne f

Bellu

Pro

prae
quill
pera
aut
Idem
one